

RELATIO CIRCULI MINORIS GALLICI "A"
Quoad "quaestiones practicas" ;
de ministerio sacerdotali

a D. Roger ETCHEGARAY

In hac nimis breve relatione de nimis numerosis quaestio-
nibus potius clavem solutionis quam solutionem ipsam proponimus.

1.- Circulus noster plene consentit cum praevia notatione
Cardinalis Taranon : ab initio debet Synodus agnosce-
re aliquam illarum quaestionum salubritatem. Ex ipso enim sinu mi-
nisterii sacerdotalis exsurgunt interrogationes presbyterorum.
Non primum ex crisi fidei oriuntur actuales difficultates, sed
ex impetu missionario sacerdotum qui sese offendunt ad mundum
hodiernum cum cahotica complexitate eius mutationis et cum im-
permeabili densitate eius incredulitatis.

2.- Investigans meliorem adaequationem ministerii sacerdo-
talis hodiernis hominibus debet Synodus :

- ex una parte incitare ad "novas vias" aperiendas (Presbytero-
rum Ordinis, n° 22)
- ex altera parte proponere criteria quaedam ne praeter viam
curreremus.

Videtur quod Synodus imprimis debeat certa et dilucida
criteria proponere ad explorandas quaestiones circa ministerium
et vitam presbyterorum. Hoc quidem officium discriminis primum
officium episcoporum est. Crescentibus effrenatis incoeptis,
humiliter agnoscamus quod nimia cum mora adjuvemus Populum Dei
ad suum finem "libenter et ordinatim" conspirantem (Lumen Gen-
tium, n° 18).

3.- Nobis videtur quod duo criteria - conjunctim sumenda - opus nostrum episcopale et moderari et stimulare debent.

- Criterium missionis
- Criterium communions.

a) Criterium missionis

Ad homines mittuntur presbyteri. Haec missionaria finalitas illuminare debet omnia quae ad ministerium sacerdotalem spectant. "Segregati" sunt presbyteri sed non "separati" (P.O., n° 3) ad Evangelium annuntiandum, ad Ecclesiam Christi aedificandam cujus fons et culmen est Eucharistia (P.O., n° 5).

b) Criterium communionis

In hac communiōne ecclesiali cujus signum et sponsor est episcopus presbyteri missionem suam apud homines et accipere et implere debent. "Ministerium sacerdotale, cum sit ministerium ipsius Ecclesiae, non nisi in communiōne hierarchica totius corporis adimpleri potest" (P.O. n° 15).

In omnibus adjunctis applicatio horum criteriorum nos con-
ducet ad nosmetipsos interrogandos de possibilitate pro presby-
teris istius triplicis relationis stabiliendi :

- 1/ relatio ad eum qui mittit (vita fidei)
- 2/ relatio ad eos ad quos presbyteri mittuntur (praesen-
tia apud homines)
- 3/ relatio ad eos cum quibus presbyteri mittuntur (epis-
copus, presbyterium, populus Dei).

4.- Evangelisatio - Sacramenta.

Multo magis quam de aliqua quaestione practica, immo de quaestione fundamentali agitur quae omnia affectat. Nulla enim oppositio vel separatio intervenire potest inter hos duos car-
dines vitae Ecclesiae : evangelisatio ad sacramenta ducere debet
et in sacramentis evangelisatio invenire debet.

1/ Si evangelisatio opus reconciliationis est hominum cum Deo in mortis et resurrectionis Christi mysterio, ad initiationem christianam per verba et sacramenta necessario ducere debet.

2/ In sacramentis, non de majore vel minore severitate sed de veritate agitur, ut sint revera sacramenta fidei. Credibilitas Ecclesiae urget. Si Ecclesia "sacramentum universale salutis" (L.G. n° 48) est, omnino oportet ut in eodem motu nuntium Christi et mundo et sibi praedicet : eo magis proponit Evangelium eo magis debet ex ipso nutriri; eo magis ex eo nutritur, eo magis Evangelium proponere potest.

5.- Ita facilius intelligitur cur et quibus conditionibus ministerium sacerdotale diversificari debet.

a) Ad missionem ordinatum, ministerium sacerdotale officia magis ac magis diversa postulat non solum in sinu coetum hominum valde diversorum quoad culturam religiosamque sensibilitatem sed etiam in sinu communitatum christianarum valde etiam diversarum quoad firmitatem et fidei maturitatem.

b) In communionem ordinatum, ministerium sacerdotale peragi poterit tam per illum qui vivit in loca ubi etiam verbum Dei proclamari non potest, quam per eum qui vivit in una communitate sacramentis sustentata. Nullus presbyter operibus suis exhaust totalitatem ministerii, sed omnis presbyter quocumque suo opere assumere debet totalitatem ministerii saltem intentionaliter et vitali legamine cum presbyterio.

6.- Ad lucem duorum horum criteriorum, missionis scilicet et communionis, possumus distinguere etiam rationes quae legitimum reddant operositatem presbyterorum professionalem.

Operositas presbyterorum nullo modo potest esse in seipso scopum. Nullo modo potest eliminare radicalem presbyteri originalitatem. Exigit ligamina cum aliis presbyteris vel religiosis et cum christiana communitate, ut permaneat in axi ministerii

sacerdotalis. Laboris consortio considerari debet ut cura apostolica apte connexa cum missione Ecclesiae et incarnatione Christi.

7.- Presbyterorum interventiones in vita politica reguntur a quaestione magis generali : qualis est competentia Ecclesiae in re politica, oeconomica et sociale. Disceptatio de Justitia elucidabit sine dubio hanc quaestionem fundamentalem. De coetero, modalitates hujusmodi interventionum valde diversae sunt secundum condiciones temporum et locorum.

In omni modo presbyteri solliciti esse debent de formatione fidelium ut illi in eorum vita tam individuale quam collectiva possint legamen percipere inter eorum fidem et politicam actionem.

Si forte presbyteri ducuntur ad aliquam interventionem politicam personalem et magis directam, oportebit quoque se referre ad illa duplicia criteria missionis et communionis.

8.- Ad coelibatum quod attinet, optamus ut Synodus mentem suam super sequentes quaestiones manifestet :

1/ In fulgidam lucem ponatur valor legaminis inter coelibatum et apostolicum ministerium. Etenim hoc legamen, etsi necessitatem non affirmat, plus exprimit quam meram convenientiam : "coherentiam existentialem" exprimit.

2/ Est-ne Ecclesia latina omnino decisa ad ministerium sacerdotale vocare inter eos qui non sunt conjugati illos tantum qui pro tota vita coelibatum eligunt propter Regnum ?

3/ Condiderat-ne Synodus quod homines conjugati possint sub certis conditionibus determinandis ad sacerdotium vocari ? Si affirmative respondetur, ad quem pertinebit hac de re decidere :

1/ Ad Sanctam Sedem ? *vel*

2/ Ad Conferentias Episcopales?

9.- "Coresponsabilitas" episcopus - presbyteri exprimenda est non solum per relationes fraternales sed etiam in institutionibus post Concilium exortis, praesertim in consilio presbyterali. Quae coresponsabilitas duplices quaestiones ponit :

◦ quaestionem theologiam : natura legaminum inter episcopum et suum presbyterium, quid sit ordo presbyterorum et quale legamen cum ordine episcoporum vigere debet;

◦ quaestionem psycho-sociologicam : assumere debemus in nostra ratione agendi hos gubernandi modos modernos.

10.- Defuit nobis tempus ad alias quaestiones examinandas. Haec tantum modo sublineamus :

1/ Ad retributionem oeconomicam presbyterorum quod attinet : haec retributio oeconomica se referre debet ad tres exigentias evangelicas :

- exprimere debet spiritum paupertatis;
- firmare debet apostolicam libertatem;
- manifestare debet fraternam caritatem.

2/ Quoad preparationem hodie ad sacerdotium necessariam. Haec preparatio perpendenda est maxima cum sollicitatione in connexionem intimam cum Congregatione pro educatione christiana.

11.- In conclusione sed non per modum codicilli, unum verbum sed grave verbum, recapitulativum^{verbum} : de vita spirituali presbyterorum.

In supradictis quaestionibus maxima disponibilitas caute servetur a presbyteris ut fidem suam enutrient per orationem, lectionem divinam et eucharistiae celebrationem. "Ex fide ad fidem" (Rm. I, 17).

" Ministri Christi esse non possent nisi alius vitae quam terrenae testes essent et dispensatores, sed neque hominibus inservire valerent si ab eorum vita condicionibusque alieni remanerent". (P.O., n° 3).